

heres etiam carceri mancipari contra Constitutionem Just-  
niani in Novella 143. quod & Zypæus monet in Notit. Juris  
Belg. De Executione rei jud. n. 3. "Sed rariùs (ait) ob de-  
bita pecuniaria, nisi fortè pœnalia, aut fiscalia."

XXVIII. Rectè autem monet Bugnyonius loco citato n. 8.  
quacumq; de causa mulieres ergastulo mancipentur, debe-  
ant ita teneri, ubi vitis non pateat aditus, conservandæ mu-  
liebris pudicitie ergo: additq; Gudelinus l. 5. De Jure No-  
viff. c. 14. n. 1. rationem quandam sexûs haberi debere, saltè  
eatenus, ut quemadmodû anteriori L. 3. Cod. de Custodia Reo-  
rum cautum fuit, mulieres in carceribus à viris separentur.

XXIX. In Gallia præcitato a. 57. Edicti Blesensis decla-  
ratum est, quòd executio contra Ecclesiasticos constitutos  
in Ordine sacro non possit fieri per incarcerationem perso-  
narum; cujus privilegii meminit Choppinus lib. 3. De S. Po-  
lit. tit. 2. v. 2. "Nam ut viro Senatorio ultimum supplicium  
carcerem existabat Syllanus ille apud Plutarchum in  
Cicerone; ita Ecclesiæ Presbyteris (ait Choppinus) gra-  
vior est vinculorum coëctio, & in sacra capita pœnalis  
carcer toti Ordini probrosior, quo sævus creditor ob civile  
debiti aris negotium multatatos velit infontes."

XXX. Aliquando tamen judicatum fuisse, rectè incarceratû  
fuisse Presbyterum ob debitum civile, eò quòd in fraudè &  
ad eluendum creditorem Presbyter factus esset; restituitq;  
Executori exequenti sua mobilia, ibidem refert Choppin.

XXXI. Ulterius omnibus debitoribus tribuit beneficium  
effugiendi carceris cessio bonorum. Ex consideratione enim  
inductum est hoc remedium extraordinarium cessionis bo-  
norum per legè Juliam in L. 4. Cod. qui bonis cedere possunt.

Per hanc cessionem bona omnia creditoribus cessa, li-  
centia iis est ea distrahendi, ut ex eorum pretio, quatenus  
fieri potest, singulis satisfiat, dicta L. 4.

XXXII. Cessio hæc de jure Civili solâ professione, & vivâ  
voce sine ulla speciali solemnitate, aut judicis venia peragi  
potest: nam dixit Theodos. Imper. ut refertur in L. 6. Cod.  
eod. "In omni cessione bonorum ex qualibet causa facien-  
da, scrupulositate priorum legum explosâ, professio sola  
querenda est." Deinde addit §. 1. "Idem dixit, in o-  
mni cessione sufficit voluntatis solâ professio."

XXXIII. Verùm cum hæc facilis cedendi libertas multis  
daret anam fraudandi creditores, in Gallia sancitum fuit E-  
dicto Ludov. XII. c. 70. ut nemo nisi præsens, & in judicio,  
discinctusq; ac nuda cervice cedat bonis; quod & in Belgio  
observati mandati Edictû Caroli V. an. 1541. 20. Octob. &  
publicatum in Concilio Flandriæ 8. Nov. ejusdem anni;  
extatq; parte 1. Edicti Flandriæ lib. 3. Rubr. 1. verba Edicti  
sunt: Seront tenuz requirir l'intherement de leurs lettres de-  
schaints, & à teste nue, en personne, & non par Procureur. Id est:  
Debeantq; litterarum suarû approbationem, discincti, &  
aperto capite; nec per Procuratorè, sed personaliter rogare.

XXXIV. Insuper eodem Edictò cavetur, ut qui litteras  
impetrarunt ad cessionè faciendam, eas in judicio offerant  
unâ cum synopsi jurata omnium bonorû. Ac insuper quòd  
si cedens ulteriora bona acquirat, ea mox ad commodum  
creditorum consignare debebit; tantummodò sibi retento  
unico lecto, & quæ eò pertinent, unoq; ex quolibet suppel-  
lectilium genere, ut vasa ænea aut stannû retinere non pos-  
sint: nisi ista fecerint, beneficio cessionis excidant. Verba  
Edicti sunt: Que tous impetrans de cession, seront tenuz de  
presenter leurs lettres en jugement endedens le mois de l'im-  
petration: avec l'estat de tous leurs biens. & iceulx abandon-  
ner à leurs creditours, sans en retenir la maniance. Et affir-  
mer ledict estat par serment: requirir l'intherement de  
leurs lettres deschaintz & à teste nue, en personne & non par  
procureur. Id est: quòd omnes, qui cessionis beneficium im-  
petraverint, debeant litteras suas in judicio exhibere intra-  
mensè ab impetratione, simulq; bonorum omnium suo-  
rum statum, eaq; dimittere creditoribus, nec administratio-  
ne eorum sibi reservatâ, dictumq; statum juramento confir-  
mabunt, litterarumq; suarû approbationè, discincti & aper-  
to capite, non per Procuratorè, sed personaliter rogabunt.

Que lesdictz impetrans de cession, aquerans autres biens,

seront tenuz les consigner au profit de leurs creditours, Et ne  
pourront retenir qu'un lect avec sa synopsi: & de chascune par-  
tie de meuble, une. Pour ven qu'ilz ne puissent avoir ny eslan-  
ne vasselle, ny autre meuble de valeur. Et ce qu'ilz auront d'  
avantage, seront à chascune fois tenuz de consigner au pro-  
fit de leurs creditours: à peine de perdre l'effect de leurs  
lettres de cession. Id est: Quòd dicti cessionis beneficium  
impetrantes, aliaque bona acquirentes, ea emolumento  
creditorum cedere debebunt, unumque dumtaxat lectum  
cum adjunctis retinere ipsis licebit, unicamque ex qualibet  
specie suppellectilem, modò non sit stannea, neque argentea,  
aut alicujus pretii. Simul atque vero amplius horum quid-  
quam habuerint, creditorum emolumento cedere debe-  
bunt, aliàs litterarum suarum beneficio excidant.

XXXV. Idem penè præscribitur a. 477. Ordinarij Curie  
Brabant. additurque, quòd qui litteras cessionis impetrare  
vult, debeat jubere citare omnes suos creditores, eosq; ex-  
scripto designare; nec non per inventarium omnia sua debita  
& credita ac bona, cum oneribus illis impositis; itemque  
causam debiti, quibus actis: Supplicanti annuetur provisio  
continens factam declarationem; ipsiq; creditores citabun-  
tur, & copiam dictarum litterarum accipere poterunt; &  
die præfixa, tenebuntur Supplicans comparere in persona, &  
ulterius procedere conformiter ad Edictum de an. 1541.  
supra citatum. Articulus ita habet: Alle de ghene, die in on-  
sen Rade brieven van cession sulken vollen obtineren van  
saeken, die daer behooren, sulken gebonden zyn te doen daghen  
heure Creditours, ende de selve over te gheven in gheschref-  
te, en by inventaris alle heure schulden, vverder schulden en-  
de goeden die sy hebben, metten lasten daer op staende, ende  
die saecken, daer nyt die schulds gesproken sal zyn, ende dit  
gedaen zijnde sal ben provisie verleent worden innehou-  
dende i' voorschreven verclaren, ende sulken die Creditours  
ghedaecht worden, ende copie hebben vande voors. brie-  
ven, indyen sy die begheeren, ende ten daghe dienende sul-  
ken d' impetranten schuldich zyn in persoon te compareren,  
ende voorts procederen achtervolghende onse ordonantien  
van den jare eenenveertich. Id est: Quicumq; litteras ces-  
sionis impetrare cupient, à Consilio nostro in causis eò re-  
ferendis: tenebuntur creditores suos citare, iisque scripto &  
in forma indeis designare, quantum aliis debeant, & ipsis  
vicissim debeatur, bonaque sua omnia cum oneribus, qui-  
bus obstringuntur, resque illas, ob quas æs alienum contra-  
xerint: quo peracto concedetur ipsis rescriptum continens  
prædictam declarationem, citabunturq; creditores, quibus  
dictarum litterarum exemplar, si id cupiant, tradetur. Ob-  
ligabunturq; impetrantes personaliter comparere, & ulte-  
rius procedere juxta statuta nostra anni quadagesimi primi

XXXVI. Hæc quæ tum hoc articulo, tum præcitato Edi-  
cto statuuntur ac decernuntur quoad ipsam cessionis effe-  
ctum, nimirum quòd cessio bonorum liberet quidem debi-  
torè à carcere, non autè ab obligatione, conformia sunt juri  
comuni, juxta L. 1. Cod. eod. ubi expressè dicitur: "Qui bo-  
nis cesserint, nisi solidum creditor acceperit, non sunt  
liberati. In eo enim tantummodò hoc beneficium eis  
prodest, ne judicati detrahantur in carcerem."

XXXVII. Si ergo postmodum alia rursus bona acqui-  
rant, ea rursus creditoribus addicenda sunt, etiam de jure  
communij; modò tamen modicum non sit. Nec enim frau-  
dandus est quotidianis alimentis, ut ait L. 6. ff. De Cessione  
bonorum. Quid autem sit modicum, judicis est æstimate.  
Cum autem hæc retineantur in præjudicium creditorum,  
indubie sat parcus debet esse judex in hac æstimatione; ipsi-  
que debitoris modicis esse contenti; quemadmodum &  
citatum Edictum Caroli V. satis indicat. Ut autem effe-  
ctus istos consequantur cedentes, oportet infortunio quod-  
dam bonis suis sint lapsi, aut in debita inciderint: in his  
enim solis locum habet commiseratio, hæc huic beneficio  
originem dedit; eisque solis convenit ratio expressa in §.  
fin. Instit. De Actionib.

XXXVIII. Hinc decoctori minimè competit hoc bene-  
ficium; cum non sit dignus commiseratione, qui sua torpi-  
ta-

tudine causa vit sibi inopiam. Cujus ordinis etiam sunt, bo-  
na sua in fraudem creditorum dissipantes, vel alienantes.  
Similiter qui dolose cum creditoribus suis versati sunt, ut  
potè scientes se solvendo non esse. His adde eos, qui spe &  
animo cedendi contraxerunt; uti de his aliisque notavit  
Henricus Zoëlius ad titulum Digestorum De Cessione bo-  
norum num. 11.

XXXIX. Contra hujusmodi decoctores, & dolosos cre-  
ditorum defraudatores, nec non abusus sub pallio hujus be-  
neficii cessionis bonorum committi solitos, plura eaque a-  
cerbissima extant Principum nostrorum Edicta, quorum  
summaria referunt Zypæus in Notitia Juris Belg. tit. de Cessio-  
ne bonorum, & Antonius Anselmo in Codice Belgico, verbo  
Banckerottiers; declaratq; inter alia Carolus V. Edictò de 7.  
Oct. 1531. extatque parte 1. Edicti Flandriæ lib. 3. Rub. 1.  
"ut qui foro cedunt, & per fraudem ab aliis auferunt pecu-  
niam, merces, nomina, habeantur, prout eos Imperator  
declarat, pro furibus manifestis, eorumque occultatores,  
& receptores fraudis conscii, nisi eos officiaro manife-  
stent; & qui in rebus eorum fraudulenter versantur, aut  
eum fugi vis negotiantur, ut socii, aut aliter creditores  
eorum se simulant, aut fraudibus eorum quomodocumq;  
opem ferunt, omnes omnium locorum immunitatibus  
priventur, extrahi possint, & convicti publicè puniantur,  
sine conniventia, ad exemplum, bona sequestrentur ad  
conservationem juris omnium creditorum."

XL. Nonnullis ad evitandum carcerem cessio bonorum  
necessaria non est, eò quòd speciali privilegio seu beneficio  
competentiæ ipsis cautum sit; cujus effectus est, quòd is, cui  
competit, excuti non possit, ultra quàm facere potest. Qua-  
les de jure sunt parentes, patronus, socius, & maritus con-  
ventus ad restitutionem dotis; donator respectu donatarij,  
de quibus §. 37. & §. 38. Instit. De Actionib.

XLI. Idem privilegium datum apparet Clerico in Cap. 3.  
De Solutionibus, ubi casus proponitur, quòd Odoardus  
Clericus conventus esset à suis creditoribus coram Officia-  
li Archidiaconi Remensis super quibusdam debitis, ipseq;  
Officialis in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed  
propter rerum inopiam solvere non valentem excom-  
municacionis sententiam promulgasset. De hac sententia Officia-  
lis ab Odoardo interpellatus Pontifex, mandavit Officiali:  
"Quatenus si consiterit, quòd prædictus Odoardus in to-

tum vel pro parte non possit solvere debita supradicta,  
sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, re-  
ceptâ priùs ab eo idoneâ cautione, ut si ad pinguiorem  
fortunam devenierit, debita dicta persolvat."

Ex hac Decretali communiter concludunt Canonistæ,  
Clericis datum esse beneficium competentie, uti videti po-  
test apud Fagnanum ad hanc Decretalem; qui & ibidem ex-  
aminat, quæ requirantur, ut Clericus hoc beneficio com-  
petentiæ uti queat: probatque nu. 58. de jure non requiri,  
ut Clericus ad obtinendum hoc beneficium priùs cedat bo-  
nis: quamvis fateatur, nonnullos ex antiquis Canonistis  
contrarium jam pridem sustinuisse.

XLII. Et hæc opinio in Gallia jam pridem recepta videtur;  
nam notat Molinæus ad hanc Decretalem, verbo: SENTEN-  
TIAM IPSAM SINE DIFFICULTATE: Hoc non solet servari in  
Gallia, nisi bonis cedant. Testaturque Bugnyonius De Legi-  
bus abrogatis lib. 1. c. 12. Arresto Parisiensi decisum esse an.  
1529. in bonis non contractis aut acquisitis pro Ecclesia,  
Clericos non gaudere privilegio, sed bonis cedere teneri.

XLIII. Quidquid sit de hac praxi Gallicâ, illud certum est,  
quòd Clericus ad inopiam redactus vi hujus privilegij non  
liberetur ab obligatione satisfaciendi suis creditoribus, si ad  
meliorem fortunam pervenerit, uti evidens est ex ipso Cap.  
Odoardus; sed tantum liberatur interim, dum satisfacere  
nequit, ab excommunicatione, tamen bonis non cedat,  
quemadmodum laici bonis cedentes, beneficio cessionis,  
liberantur à carcere.

XLIV. Sicuti enim in tribunalibus sæcularibus extremû &  
extraordinarium remedium adversus condemnatos est in-  
carceratio, utpote quæ decernenda non est, nisi ubi aliter e-  
xecutio sententiæ haberi nequit; ita in tribunalibus Eccle-  
siasticis extremum remediû est, ut condemnati non satisfac-  
ientes sententiis, anathemate aliisque censuris feriuntur;  
quo similiter utendû non esse, nisi omnibus aliis deficienti-  
bus, declaravit Synodus Trid. Sess. 25. cap. 3. De Reformat.

Huic Decreto consonant Ordinationes Curiarum Eccl.  
Provinciae Mechlin. 11. a. 67. quo statuitur: "Contra con-  
tumaces & solvere nolentes sententiæ omnes mandabun-  
tur executioni, cum invocatione (quatenus opus est)  
auxilij brachij sæcularis. Ad censuras autem non facile  
procedetur." De hac moderatione in procedendo per  
censuras latius agetur infra titulo De Censuris.

# TITULUS X. De Appellationibus & Recusationibus.

## CAPUT I.

### De Frequentia Appellationum in Curia Ecclesiasticis.

- 1 Primis sæculis admodum rara erant provocaciones à de-  
cisionibus Episcoporum.
- 2 Excommunicatio lata ab uno Episcopo, servanda erat ab  
omnibus.
- 3 Permisserunt tamen Patres Nicæni, sententiam Episcopi  
subinde examinari.
- 4 Eum in finem bis in anno habenda erat Synodus Pro-  
vincialis.
- 5 Examen sententiæ latæ ab Episcopo in Synodo Provincia-  
li erat species aliqua appellationis.
- 6 Circa sæculum IX caperunt multiplicari appellationes, &  
gradus appellationum stabiliri.
- 7 Instituitur appellationes à quibuscumque judicibus Eccle-  
siasticis immediatè ad Pontificem.
- 8 Capiti Curia Romana admittere appellationes à quibus-  
cumque sententiis etiam merè interlocutoris: quin &  
causarum evocaciones.
- 9 Querela S. Bernardi de hac appellationum frequentia,  
Van Espen Jur. Eccl. P. III.

earum facili admisione.

- 10 De usdem queritur Hildebertus Archiepiscopus Turo-  
nensis. (nam)
- 11 Metropolitanani & Prælati imitati sunt Curiam Roma-  
nam.
- 12 Quomodo labentibus facultis continuo extensa sit appel-  
lantis libertas.
- 13 Querela Joannis Gropperi in Concilio Tridentino contra  
abusum appellationum.
- 14 Plures abusus in hac appellationum materiam irrepssi-  
se satis agnovit Synodus.
- 15 Decretum Synodi restringens facultatem appellandi.
- 16 Synodus vetans appellationem ab interlocutoria non ha-  
bente vim definitivæ; vel à gravamine per definiti-  
vam reparabili, concordat Juri Civili.
- 17 Quod decrevit Synodus Tridentina, erat cautum per re-  
gulam 36. Cancellaria.
- 18 Similiter & in Concordatis Gallicanis.
- 19 Quid circa hanc restrictionem decreverit S. Congrega-  
tio sub Clemente VIII.
- 20 Non obstante hac restrictione adhuc nimia est appella-  
tionum frequentia in Curia Ecclesiasticis.
- 21 Admittitur appellatio ab omni gravamine per definiti-  
vam non reparabili.

- 22 Item si non possit reparari sine difficultate, aut si in totum reparari nequeat. (cur.)
- 23 Hinc penè ab omni iudicio Decreto appellatio admittitur.
- 24 Recipitur appellatio ab admissione vel non admissione probationis.
- 25 Item à coarctatione dilationum. (cum.)
- 26 Interdum & à citatione ob breviorum terminum assignationem.
- 27 Similiter & à delatione juramenti, vel à declaratione iudicis, quæ se competentem pronuntiat.
- 28 Hæc frequentia appellationum viam pandit ad lites æternizandum. (sententia conformes.)
- 29 Admittitur toties appellatio, quousq; habeantur tres sententia.
- 30 Quomodo intelligatur, quod de Jure Canonico non possit nisi secundo ab eadem sententia appellari.
- 31 Interdum expectanda sunt quinque sententia, antequam executio haberi queat.
- 32 Id declaratur exemplo.
- 33 Subinde sententia transit in rem iudicatam, licet tantum dua sententia in causa appellationis sint prolata.
- 34 Quandoam admittuntur quatuor appellationes, & requiruntur quinque sententia, ut executio habeatur.
- 35 Quandoque habeantur tres sententia conformes, sententia mandanda est executioni, non obstante quacumque opposicione.
- 36 In Gallia in appellatione ab interlocutoria secunda sententia conformis executioni mandatur.
- 37 Post tres sententia conformes non solet recipi appellatio tamquam ab abusu.
- 38 Quandoam habeatur sententiarum conformitas?
- 39 Hæc sententiarum conformitas de jure requiritur in omni appellatione. (sive collapsio.)
- 40 Hinc præcipue adscribenda jurisdictionis Ecclesiastica.
- 41 Appellationes admittuntur non tantum in causis Civilibus, sed etiam criminalibus.
- 42 Moribus hodiernis in foro seculari non solet admitti appellatio in criminalibus.
- 43 Quæ ratio hujus consuetudinis, & an satis fundata?

**I.** In Romis sæculis admodum raras, & inusitatas fuisse appellationes & provocaciones à sententiis sive decisionibus Episcoporum, satis notum est. Cum enim Episcopi tunc temporis non more iudicum secularium, secundum formam & rigorem Legum, aut Sylum forensium; sed potius per modum arbitrii causas & quaestiones, modo quasi paterno decidant, raro ab eorum decisionibus provocabatur; imò provocandi libertas in multis causis præsertim civilibus adempta erat, uti supra tit. 1. cap. 3. ostendimus.

II. Imò Episcoporum sententias, etiam excommunicationis in Clericis aut Laicos latas, volebant pristini Patres ab omnibus inviolabiliter servari, atque ab Episcopo suo excommunicatam, ab omnibus ubique Episcopis pro excommunicato haberi & tractari volebant; quam regulam renovavit Synodus Nicæna Can. 5. dicens: "De iis, qui à communione segregati sunt, sive Clericorum sive Laicorum sint ordinis, ab Episcopis, qui sunt in unaquaque Provincia, valeat sententia secundum Canonem, qui pronuntiat, eos, qui ab aliis rejecti sunt, non esse ab aliis admittendos."

III. Nihilominus attendentes Patres Nicæni, inter Episcopos nonnumquam reperiri, qui hac sua potestate, ex humana aliqua passione in subditorum gravamen abutuntur, atque subinde esse Fidei de Episcoporum sententiis iustas querelas, voluerunt, ut "examinetur, numquid vel per sillanimitate, vel contentione, vel aliqua ejusmodi Episcopi acerbitate, congregatione pulsi sint."

IV. Ut hoc ergo convenientem examinationem acciperent, (inquiunt Patres Nicæni) rectè habere visum est, ut singulis annis in unaquaque Provincia bis in anno Synodi fiant: ut cum omnes Provincia Episcopi in eundem locum, cum communiter conveniant, ejusmodi quaestiones exa-

minentur: & sic quos Episcopum offendisse constiterit, iustè eisdem à Congregatione separari apud omnes videantur, donec Episcoporum Congregationi videatur pro iis humaniore profertur sententiam. Synodi autem fiant, una quidem ante Quadragesimam, ut omnibus animi foribus sublatis, purum munus Deo offeratur: secunda autem autumni tempore."

V. Non dubium, quin hæc adversus Episcoporum excommunicationes querela coram Synodis Provincialibus proposita, species quedam fuerit appellationis, quæ tamen non habebat effectum suspensivum, sed devolutivum dumtaxat: eratque potius simplicis querelæ propositio, quam appellatio, cujus nec vocabulum occurrit, Neque eo tempore reperitur usitata fuisse appellatio à sententiis Episcoporum ad Metropolitanos, & ab his ad Primates, ac ab his demum ad Pontificem. Hi enim appellationum gradus sequentibus sæculis stabiliti fuisse videntur.

VI. Circa sæculum nonum per Pseudo-Isidorum publicatis spuris illis ac famosis epistolis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum, admodum frequentes ceperunt esse appellationes. Ut enim rectè advertebat Vir eruditus Claudius Fleury Parte 3. Instit. Juris Canonici c. 23. hæc Decretales stabiliti diversos gradus jurisdictionis, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum, ad quos gradatim appellari posset; uti videri potest ex fragmentis illarum Decretalium relatis apud Gratianum *caus. 2. q. 6.*

VII. In iisdem etiam Decretalibus asseritur auctoritas liberè provocandi à quibuscumque iudicibus, in quibuscumque causis ad Romanum Pontificem, "Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc Sanctam & Apostolicam Sedem appelles, & ad eam quasi ad Caput, fugium habeat, ne ipse innocens damnatur, aut Ecclesiæ sua detrimentum patiat." Ita ex supposititia epistola Sixti Papæ I. *caus. 2. Can. 4. q. 8. & Can. 8.* ex epistola Zepherini: "Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maxime tamen ab oppressis appellandum est, & concurrentium quasi ad matrem, ut ejus ubi scribis nutiantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releventur: quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum."

VIII. Cæperunt autem in Curia Romana recipi appellationes non tantum à sententiis definitivis, sed & interlocutoriis. Nec in majoribus dumtaxat causis, sed & levioribus, quin & ipsæ causæ principales sæpius evocabantur ad Curiam Romanam, etiam interdum in prima instantia.

IX. Hæc frequentia appellationum & causarum evocatio sæculo XII. adeo invaluerat, ut de ea plures Sanctissimi Viros graves querelas deposuisse legamus. S. Bernardus ad Eugenium III. *lib. 3. de Consideratione cap. 2.* "Quantos (ait) novimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod numquam licet? Nonnullis etiam quoad vixerunt, licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gratia incestum, adulterium. Quale est hoc, turpitudinem patrocinari, quod vel maxime formidari à turpibus oportebat? Quousque murmur universæ terræ aut dissimulas, aut non advertis: Quousque dormitas? Quousque non evigilat, consideratio tua ad tantam appellationum confusionem, atque abusionem? Præter jus & fas, præter morem & ordinem sunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur, aut persona. Præsumunt leviter passim, plerumque & nequiter. Volentes malignari, nonne his potissimum terretur solebant? Nonne terretur ipsi ex his magis sunt, atque id bonis. Antidotum versum in venenum, non mutatio dexterae Excelsi hæc?"

Similiter Epistola 178. ad Innocentium II. queritur, Episcoporum auctoritatem contemni ac minui, quod appellationes ab ipsorum sententiis Romæ facillimè recipiuntur, ipsorumque decreta quantumvis æquissima suspendentur.

X. Contra eundem appellationum abusum, & Episcopalis auctoritatis depressionem sub idem tempus ad Honor. II. Pontificem scripsit Hildebertus Turonensis Archiepiscopus *epist. 82.* "Quaslibet appellationes in Romana vigere & suscipi

suscipi Ecclesiæ, cis Alpes audire non est, nec ex Sacris traditum institutum. Quod si forte hujusmodi emerit novitas, ut placeat, omnem dissidenter admittere appellationem, Pontificalis censura peribit, & omnino contretur Ecclesiastica robur disciplina. Quis enim raptor ad solam anathematis comminationem non statim appellabit? Quis Clericus aut Presbyter, frustra toræ appellationis refugio non putabit, aut etiam sepelietur in stercore suo? Quis Episcopus habeat in promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam? Ejus virgæ, quævis appellatio quassabit, solvet constantiam, severitatem emolliet, adducens & illi silentium, & reis impunitatem delictorum. . . Dilatione nempe Censuræ facinorosa fovetur, & venient in profundum iniquitatis impune delinquentes, &c."

XI. Metropolitanis, Primatibus, aliisque Superiores, ad quos per appellationem causæ devolvebantur, facile hoc exemplum in recipiendis quibuscumque appellationibus sequuti fuerunt, ob lucrum, quod ex causarum disceptatione, vel ipsi, vel eorum Ministri accipiebant.

XII. Imò labentibus sæculis eò devenit, ut non tantum à sententiis iudicum, & actibus judicialibus appellatio admitteretur, sed & à quibuscumque etiam extrajudicialibus Decretis provisionalibus, tametsi ab Episcopis tempore visitationis pro morum emendatione, & Ecclesiastica disciplina reformatione editis; idque non solum quoad effectum devolutivum, sed & suspensivum.

XIII. Contra hanc appellationum frequentiam, atque inde resultantem Ecclesiasticam disciplinam, & iudicium everisionem, in Concilio Tridentino plures à Patribus conquesti fuerunt; atque præ cæteris Joannes Gropperus in hunc appellationum abusum vehementius insurrexit; ostenditque, labentibus sæculis, Episcopos non tantum sublatis Synodis, more iudicum secularium, forum & officiales instituisse; sed & ad abusus longe majores, quam in foro seculari, gradum non cunctanter fecisse. In foro seculari iniquitatem provocacionem non fieri, nisi ad iudicem immediatè superiorem; tantum abesse, ut fas sit, ad supremum primo saltu tendere. Neque licere in articulis causæ provocare à Decretis iudicis, quæ vocantur *interlocutoria*, sed causæ finem, & decreta litis decisoria necessario esse expectanda. At contra in iudiciis Ecclesiasticis, & appellari à lingulis actibus iudicis, unde causarum immensitas nascitur; & immediatè ad supremum, unde sequitur, extra territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi necessitas.

Hæc non alium ob finem à se dicta protesta batur Gropperus, nisi ut huic abusu, qui omnem prorsus corruptum disciplinam, cum maximo populi & onere, & sumptu, & offensiculo, remedium saltem apponeretur; & dum pro temporum conditione, ad suam primam originem reduci in totum non potest, saltem appellationes in foro Ecclesiastico ad Juris Civilis formam reducerentur.

XIV. Dubitari nequit, quin Synodus Tridentina sat apprehenderit abusus, qui sensim in hæc appellationes irreperant; satque advertit, everisionem disciplina, causarumque protracionem, & subditorum dispendia ex his abusibus sequi.

Indicant id Decreta ejusdem Synodi, quæ plura in hac quàm ferè in ulla alia materia, edita sunt, & per varias sessiones dispersa, quibus pro temporum conditione abusibus in hac materia sensim inductis mederi voluit, licet integram medelam afferre non potuerit, quemadmodum in decursu hujus tituli notabitur.

XV. Imprimis *Sess. 42. cap. 20. De Reformat.* decretum fuit, "ne appellationes ab Ordinariis interpolite, per Superiores quoscumque recipiantur, earumve commissio aut inhibicio fiat, nisi à definitiva, vel à definitiva vim habente; & cum gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat."

XVI. Indubitatum est, hoc Decreto restrictam esse libertatem, quam Jus Canonicum tribuebat, appellandi ab omni

sententia *interlocutoria*, omni que judiciali gravamine; notantque Doctores, hac in parte Jus Canonicum esse restrictum ad Jus Civile, quod à sententia interlocutoria, quæ per definitivam reparari potest, appellationem non admittit; uti videri potest apud Pagnanum ad *Cap. super eo, De Appellat.*

XVII. Quod hoc suo Decreto cavet Synodus Tridentina, jam antè expressum erat in *Regula 36.* Cancellaria, quæ voluit Pontifex, ut litibus finis celeris imponatur, & litigantium parcatur sumptibus & expensis, quod in causis in Romana Curia pendentibus, & quas imposterum in ea quovis modo contigerit agitari, nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit commissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat definitivam, vel à gravamine minimè concertente negotium principale, quod non possit per appellationem à definitiva sententia reparari, nullæ que causæ appellationum hujusmodi committantur, nisi in commissione exprimitur, quod interlocutoria vim definitivam habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione à definitiva non valeat reparari."

XVIII. Cautum quoque erat in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliarum *tit. de Fivolis appellat.* "Ne à gravamine in quacumque instantia, ante definitivam sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva reparari nequiret."

XIX. Anno 1600. 16. Octob. Sacra Congregatio causis Episcoporum præposita, ex sententia Clem. VIII. quosdam articulos sanxit in materia appellationis observandos, quos ad calcem Ordinationum suarum Curiarum ad iudici voluerunt Episcopi Belgici; & ab omnibus observari de novo, quatenus opus est, præceperunt. *tit. 16. art. 10.*

In Decreto hoc S. Congregationis *art. 5.* decernitur: "Ne, dum causæ coram inferioribus iudicibus pendet, ante definitivam sententiam, vel vim definitivam habentem, de gravamine illato, superiores cognoscere valeant, licet citra præjudicium cursus causarum se id facere contestentur: nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis appellantis."

Itaque hodie contra dispositionem Juris Canonici, appellatio recipienda non est ab interlocutoria, nisi vim definitivam habente; & cujus gravamen per appellationem reparari nequit.

XX. Tametsi non nihil hodie restricta sit appellatio à sententiis interlocutoriis, nihilominus adeo frequens manet appellatio, ut ipsa jurisdictionis Ecclesiasticae prolapsio; imò totalis penè ejus interitus huic appellationum frequentia adscribenda penè unice videatur.

XXI. Salva quippe manet appellatio non tantum à sententia definitiva, sed & interlocutoria habente vim definitivam, quin & ab omni gravamine per appellationem à definitiva non reparabili.

XXII. Idem esse docent communiter Canonistæ, si tale gravamen posset reparari, sed magna cum difficultate, aut præjudicio partis, uti videri potest apud Hieronymum Gonzales ad *Regulam 8. Cancellariae Glossa 9. num. 177.*

Addit dein *num. 178.* item quando gravamen potest per definitivam reparari, sed non ex toto: quia tunc quoque datur appellatio. "Nec non (ait *num. 179.*) quando articulus interlocutoria esset præjudicialis negotio principali."

XXIII. His positis nullum penè Decretum à iudice interponitur, à quo appellari nequeat; cum vix aliquod decretum sit, quo non inferatur gravamen aliquod, per definitivam, vel appellationem à definitiva irreparabile, saltem quoad aliquam partem.

XXIV. Et quidem hinc concedi appellationem ab admissione injusta articulorum partis adversæ, seu à non admissione articulorum & probationis, aut exceptionis ipsius partis appellantis, tradunt communiter Doctores citati apud Gonzales *num. 190.*

XXV. Refertque *num. 191.* resolutum in *Rota*, fuisse nullum